



## PARS II.

### De Imperatoribus Christianis Romano - Græcis in Oriente usque ad Carolum M.

Tria Sæcula cum dimidio pars ista continet, nimirum ab Ann. C. 450. ad A. 800. numeratque is temporis tractus Imperatores universim 26.

## CAPUT I.

### *Reliqui Imperatores Seculi V.*

#### 53. Martianus.

##### I. *Qua ratione devolutum ad eundem Imperium?*

Absque hærede obiêrat Theodosius junior; igitur Pulcheriæ Sorori suæ relinquendum Imperium censuit, à qua præclare jam ante fuisset administratum. Consultura Imperii cõmodis Pulcheria, Martianum Conjugem Virginem Virgo sibi sociavit.